

D. O. M. A.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA,  
INAUGURALIS  
De  
MISTIONE PHYSICA,

*Quam*,

*Approbante & Consentiente amplissima Facultate Philosophica, in Illustri & Regia CHRISTINæ Aboënsium Academia.*

S U B M O D E R A M I N E,

*Reverendi & Praeclarissimi Viri,*

D. M. G E O R G II A L A N I,

Phys. & Botan. Professoris Celeberrimi, Præceptoris, Fautoris, Promotoris, nec non hospitis sui, ut benignissimi, ita parentis loco æternum honorandi,

*Pro gradu in Philos. Facult. ejusq; Privilegijs reportandis publicè placideq; discutiendam proponit*

JOHANNES MARTINI TOBETIUS  
*Wesmannus S. R. M:is Stip.*

Ad diem 27 Febr, Anni 1647. In Auditorio Majori

*Seneca Nat. Quesl. lib. 7. c. 31.*

Rerum Natura sacra sua non simul tradit. Ex quibus aliud hæc ætas, aliud quæ post nos subibit, aspiciet.

A B O È,

*Excudebat Petrus Wald / Acad. Typogr. 1647.*

V I R I S

Reverendis, Speciosissimis, varioq; Eruditionis &  
Prudentiae splendore Clariſſ.

- Dn. BOETIUS MURENIO, Ecclesiæ Salt-  
vicensis Pastori dignissimo, totiusq; Alandiæ Præ-  
posito meritissimo, nutritio suo singulari animi af-  
fectu merito prosequendo.
- Dn. STEPHANO JOHANNIS, in Ter-  
ritorio Castelholm, Prætori Provinciali Alandiæ  
Circumspectissimo.
- Dn. CHRISTIERNO ALANO, in Jommaa Pastori fidelissimo, Mecœnati ac be-  
nefactori suo ætatem colendo.
- Dn. PETRO BERGERI in Finström Pa-  
stori vigilantissimo.
- Dn. PETRO ANDREÆ in Välsnåås/Baro-  
natus Kimithœnsis Prætori Prudentissimo.

*Dominis, Patronis, Mecœnatis ac Evergetis suis singu-  
lari animi observantia prosequendis præsentem  
hanc dissertationem, in gratia mentis indicium, rever-  
tentè dedicat & offert.*

J. M. T.



## P R A E F A T I O.

**M**Entem deplorando & horribili illo protopla.  
storum lapsu, etiam quoad rerum naturalium  
intellectionem, tam misere obscuratam, tantisq;  
tenebris circumfusam esse, ut in luce rerum tenui  
caligare, in mediocri cæutire, in majore planè cætam  
esse, in maxima insanire necessè habeat, subtilissimus  
exclamat Scaliger. Hanc inficiæ rubigine exue-  
re, &c ab hisce obscuritatibus, quantum quidem  
in hac humana infirmitate fieri potest, liberare  
Philosophiam, magnum illud maximi Dei donum,  
ut neminem recti sensus inficias ire autumo; ita  
id ipsum præstantissimum suum munus in con-  
gressibus eruditorum, disputationibus sive publi-  
cis sive privatis (quibus profecto melior veritatis Di-  
dascalos nullus dari monstrarive potest) commodissime  
peragere, quemlibet concedere, mihi per-  
svasissimum habeo; Vir enim virum haud secus  
ac eos cotem acuere potest. *Recte E. Joh. Picus,*  
*Disputationes cribrum veritatis & svavissimum ani-  
mæ cibum, vocat.* Quo & nos moniti, in Norai-  
ne Celfissimæ Triadæ, disputaturi, breves & suc-  
cinctas nonnullas Positiones, de Mitione Physi-  
ca, pro rudi Minerva, conscripsimus. *Deus Opt.*

*Max. cooptis adsit, successum largiatur, & faxit, ut  
ipsi grata & Reipub. literariæ proficua expromere  
valeamus.*

### THE SIS I.

**P**ræter rem nos non facturos existimo, si omnium  
primo, nè in ipso limine impingamus, & in igno-  
ra quasi sylva versemur, certa sua sepimenta Disputati-  
unculae ponamus nostræ, quæ transilire & transgredi,  
extraq; divagari non licebit. Idcirco. 1. Vocabulum  
Mitionis depurgandum. 2. Quæstio An sit bre-  
viter attingenda. 3. De Quæstione quid sit labo-  
randum, pro cuius uberiori declaratione de Ma-  
teria, modo, & causa efficiente Mitionis, agen-  
dum. 4. Deniq; Divisio Mitionis subiectanda  
ac subjungenda.

**II.** Primum quod spectat, cum verborum vis ig-  
nota disputantes facilime decipiatis ac sæpiissime errare  
faciat; Idcirco imprimis Homonymiam vocis præ-  
mittendam duximus, ne & nobis imponat fallacie  
eadem.

**III.** Est igitur vocabulum Mitionis apud Phy-  
siologos ambiguum, sumiturq; 1. Latè & impropriè.  
2. Strictè & propriè. Hæc naturalis, illa artificia-  
lis Mitione appellata: Hæc accurrior; Illa minus ac-  
curata est. Illa novam gignit Speciem: Hæc partim  
in nuda appositione, partim in confusione subsistit.

*IV.* Artificialis proinde duobus sit modis, & consistit,  
1. In Appositione, quando res vel diversæ vel ejusdem  
nature & in unum ita coacervantur cumulum, aut ita  
congeruntur, ut singule superficies suas sartas tectas  
seruent ac retineant. Ut cū grana tritici, hordei, &c.  
unum constituant acervum. 2. In confusione, sive  
compositione duorum, trium aut plurium corporum ita  
inter se confusorum, ut unum ex omnibus corpus ita  
confectum emergat, quod non unum formâ, sed conti-  
nuatione tantum. Talis est mistio, cum vinum aquæ,  
cerevisia vino permiscetur. Item cum pharmaca  
pharmacis miscentur.

*V.* Propria verò & naturalis, sub modo oppo-  
sito est, & sumitur pro tali copulatione, quæ novâ  
parit speciem, in quâ ex miscilibus unum quid  
dam est factum formaliter, à componentium o-  
mnium naturâ diversum, quodq; formam habeat  
à formis componentium prorsus differentem.  
Quam acceptiōem ut genuinam sibi vendicat hic no-  
ster discursus, ita juxta eandem mistionis naturam  
est declaraturus.

*VI.* Ne autem de vano & fictilio quodam Phi-  
losophorum commento hic noster discursus temerè in-  
stitutus spargatur, nunc ad secundum Instituti  
nostrî rectâ progredimur membrum, Questionem  
scilicet, An sit, vel detur talis mistio, pauculis per-

*S. Ingendo, cum certò constet nonnullos minus dextrè  
Philosophantes, eam, non modò negandam, verum &  
à Philosophiae choro proscribendam, ausu & nisu non  
minimo, aggressos fuisse, quam tamen injuriam ratio-  
nes sequentes à nobis allatæ, masculè propulsatum i-  
bunt.*

*VII.* Dari E. ejusmodi Physicam mistionem, con-  
firmat 1. Natura Elementorum, quippe quæ non  
tantum ideo sunt creata, ut mundum integrant, sed &  
in hoc ordinata, ut corpus mixtum ex illis constitua-  
tur. Hinc Scal. Exerc. 16. S. 3. Per se quidem for-  
mam habent, sed propter se non solum, sed quoq;  
propter composita. Ignobiliora enim propter no-  
biliora corpora facta sunt. 2. Si datur corpora  
mixta ex Elementis & alijs miscibilibus, sequitur  
ipsam quoq; mistionem dari. At verum prius E.  
& posterius. Majoris consequentia patet, quia mi-  
xtum esse presupponit mistionem. Minoreni resolu-  
tio corporum manifestam reddit. 3. Quia in unum  
locum concurrere possunt miscibilia, licet non sim-  
pliciter & per se, tamen prout à formâ (quæ cujusq; rei  
architecta) attrahuntur, uniuntur vè. Ino in aqua  
& terra ex varijs rerum corruptionibus, ad corporum  
naturalium constitutionem ubivis obvia sunt.

*VIII.* Hic quidem veterum nonnullorum ratiun-  
culis, quibus Physicam hanc mistionem demoliri sata-  
gunt,

gunt, ob viam iremus, ut id ipsum ab instituto nostro,  
Tamen hic saltem requirente, alienum esse sciremus.

**IX.** Ita prælibatis ijs, que ad 1. & 2. membrum  
facere videbantur, nunc ad Tertium properemus,  
& Definitionem, rem quamlibet enucleatiorem &  
planiorem facere solitam, apponamus. Scal. quidem  
definit Mitionem, quod sit motus corporum mi-  
nimorum ad mutuum contactum, ut fiat unio.  
**Exerc. 101. S. I.** Nostarem sequentem definitionem,  
salvo aliorum judicio, commodiorem & clariorem pu-  
tanus, quâ sic definitur: Mitione est miscibilium in  
minima divisorum unio, à formâ specificâ facta.

**X.** Definitio hæc constat Genere & Differentiâ.  
Genus est unio. Ea enim quæ miscentur, uniri necesse  
est. Et quidem talem conjunctionem & conglutina-  
tionem hic notat, quâ miscilia tertium quoddam con-  
stituunt, novamq; speciem gignunt. Differentia à  
materia, modo, & Efficiente mitionis petita est.

**XI.** Materia autem Mitionis sunt 4. Ele-  
menta, cum principijs Chymicis, junctim in alijs mistis de-  
prehensa. Nam mista ignobiliora nobiliorum sunt  
materia.

**Porisma:** Mitione est corporum, Accidentia enim  
nec inter se, nec cum subjectis (nisi populariter loquen-  
do) miseri dicuntur.

**XII.** Neq; tamen ullum facile dabitur mistum, è  
quatuor Elementis immediatè productum. Sic cor-

quidetur manum non immediate ex quatuor Elementis,  
sed ex semine producitur, semen autem è sanguine, san-  
guis è chylo, chylus è cibò & potu, cibus & potus ani-  
malium è plantis & animalibus. Semina item plan-  
tarum terræ commissæ, non nuda & pura sunt Elemen-  
ta; nec etiam sola Elementa, sed succum ex Elementis  
alijsq; nobilioribus principijs conflatum attrahunt.

XIII. Ut autem modus mistionis commodius e-  
nodetur, placet hic controversiam illam arduam paucis  
expendere, quâ queritur: An & quomodo formæ  
Elementorum in mixto maneant? Res enim est  
non parvæ controversiæ, an necessarium sit, ut mis-  
tibilia, quæ vi unius formæ uniuntur, & in unam mi-  
sti naturam abeunt, formas suas amittant; an vero  
in mixto sub formæ specificæ dominio singula suas for-  
mas, & quidem integras, retinere possint?

XIV. Valde hic inter se altercantur Aristotelis in-  
terpretes. Quidam Scotti sequuntur sententiam, qui  
putavit formas & qualitates Elementorum, in mistione  
penitus interire, & novam misti formam generari, no-  
vamq; qualitatem, quæ est temperatura misti induci,  
atq; ita Elementa virtualiter manere in mixto. Sive  
quando mixtum dicitur constare ex Elementis, id ita es-  
se intelligendum, quod forma misti habeat quandam si-  
militudinem & convenientiam cum formis Elemen-  
torum, quemadmodum medium habet quandam conve-  
nientiam cum extremis. Et propriam misti qualita-  
tem

tem dicit esse diversam à qualitatibus Elementorum, atq; æquè simplicem, ac illas, dici tamen ex illis constare propter similitudinem, quam cum illis omnibus habet; quam similitudinem & convenientiam putat Aristotelem significasse, quando dixit remanere in mixto virtutes miscibilium, non ipsa miscibilia aëtu.

XV. Scoto consentiunt nonnulli alij, qui dicunt formas nullo modo servari in mixto, neq; integras, neq; refractas; Sed in qualitatibus ab eo discrepant, has enim in mixto fractas & ad mediocritatem redactas remanere putant.

XVI. Quidam Avicennæ arripiunt sententiam. Hic formas Elementorum integras nullāq; ex parte lejas in mixto remanere existimavit; Qualitates vero manere quidem, non tamen integras, sed castigatas & refractas ob mutuā inter se actionem & passionem.

XVII. Alij Averrhois fovent opinionem, qui censuit tam formas substantiales Elementorum, quam qualitates manere aëtu in mixto, fractas tamen omnes & castigatas, & ad mediocritatem redactas: Formas enim ( licet substantiales sint ) in hoc tamen ad accidentium naturam accedere, putavit, quod possint intendi & remitti, & proinde esse quodammodo medias inter reliquas formas substantiales & Accidentia.

XVIII. Horum autem, ut & cœterorum ra-

*tiunculas, hic non inserimus, sed ipsi confidui easdem  
reservamus.* Opinionibus autem eorum certis de  
causis relictis, tam formas quam qualitates Ele-  
mentorum, & quidem integras ac sartas tectas in  
misticis remanere, intrepidè assertimus.

*XIV.* Hec nostra assertio cum duo potissimum  
probanda includat: 1. Scilicet quod formæ & qui-  
dem integræ nullaq; ex parte remissæ in misto  
sint, cohabitent ac maneant. 2. *Quod etiam qua-*  
*litates Elementorum inibi & quidem nullatenus re-*  
*fractæ & castigatæ, sed integræ ac salvæ rema-*  
*neant & reserventur, utrumq; a nobis est confirmar-  
dum.*

*XX.* Prius membrum nostræ assertionis quod spe-  
ciat, pro illo stabiliendo hæc militabunt: Quæcunq;  
miscentur, ea non abolentur. Elementa in mistio-  
ne miscentur, E. Elementa in mistione non abo-  
lentur. Major suâ luce radiat. *Quomodo enim in mi-*  
*sto misceri queant, quæ inibi non manent?* Et quomo-  
do uniri possunt, quæ ne quidem sunt. Nam non en-  
tis, nullæ actiones, nullæ passiones. Minor ex-  
tra controversiam est. *Præterea cum actio actum*  
*præsupponat, & in mistis Elementorum actiones*  
*appareant, necesse est, ut ea actu ijs insint.* Ut alia ta-  
ceam, ipse Arist. lib. 1. de cœlo, mistum ad modum  
prævalentis Elementi moveri scribit.

*XXI.* Tandem idem astruit mistorum in Elementa resolutio. *Mista enim in Elementa resolvi quis neget?* Hinc argumentamur: In quæ quid resolvitur, ex ijs etiam constat. At mista in Elementa resolvuntur, E. ex ijs etiam constant. *Major est canon.* *Minor ex corporum resolutionibus patet.*

*XXII.* Et cum sic manifestò liqueat 4. Elementa in mistis omnino manere, hinc infallibiliter sequi, eorundem formas ibidem manere, quidquid enim est, per suam formam est, Elementa in misto sunt E. *Major est Canon, minor ex prioribis liquet.*

*XXIII.* Et cum omnis formæ ratio in indivisiibili consistat, nec ulla substantia suscipiat magis E minus, sed ubicunq; est vel tota est, vel non est, hinc irrefragabiliter evincitur, formas etiam integras ac sartas teclias in misto remanere. Unde sic colligimus. Ubicunq; Elementorum formæ manent, ibi integræ manent, At in mistis Elementorum formæ manent, E. Major E minor cum ex dictis pateat operosa probatione non est opus.

*XXIV.* Succedit jam alterum nostræ assertionis membrum de Qualitatibus Elementorum, quas etiam in misto E quidem integras absq; ullâ intentione, remissione aut refractione esse, cum ad ocu-

*lum liqueat, id ipsum & nos asserere non veremur.*  
Suam enim formam illæ insequuntur, ut quantitas materiam, & accidentia cum sint, de subiecto in subiectum non migrant.

*XXV.* *Imò, ne gato proprio, negatur ipsum subiectum. Et Accidentia propria cum sint, qui eas intendi & remitti posse statuit, à vero multum abest:*  
*Cum priorum hæc sit natura, ut nec intendi nec remitti possint, cum alias ipsa subiecti essentia intenderetur ac remitteretur, quo quid absurdius dici potest?*

*XXVI.* *Hisce ita prægustatis, jam ad ipsum missionis modum proprius nos promovemus, quem cum veteribus in atomorum seu minutissimorum corporum, in natura sua integra persistentium, congregacione consistere dicimus, ita ut in minima quidem misti particula, quoad sensuum judicium, sint 4. Elementa, & non in minima ad rationis dictamen...*

*XXVII.* *Et licet Elementa specie differentia sint, sub unius tamen forme dominio uniri ac vere continuari posse asserimus. Nec magni momenti est, quod nonnulli obiciunt; Si Elementa perfecta sub alterius forme dominio manerent, sequi, formam illam mihi esse Accidens; Cum quod advenit enti perfecto & in actu constituto, sit Accidens. Nam (ut rectè Scal.) miscibilia ignobiliora propter nobiliora facta sunt, & propterea dominio nobilio*

nobilioris forme sese submittunt, quæ supervenientia non accidentis, sed forma specificæ rationem obtinet, Sennert. Hypom. 3. c. 1. p. 131.

**XXVIII.** *Quod verò pugnam illam concernit, quam nonnulli ad conciliationem Elementorum in misto omnino requiri statuunt, eā simpliciter opus non esse afferimus: Satis enim est, si ad minima redigantur miscibilia. Etenim tum demum quæ sunt contraria, inter se pugnant, & se invicem aversantur, quando eorum notabiles magnitudines & portiones concurrunt. Dum autem in minimas particulas rediguntur, nullam, vel vix notabilem pugnā ineunt. E.g. Dum carbonibus ignitis affatim aqua affunditur, strepitus indē ex pugna contrariorum excitatur: non autem si atomi igneæ aquæ communicentur, eiq; per minima misceantur. Sic etiam si aqua leviter calefiat, recipit quidem atomos igneas sine pugna; Si autem vehementius, fit pugna & insignis ebullitio.*

**XXIX.** *Dari autem ejusmodi minima seu Atoms, affirmat Ratio, confirmat Experientia; Contentur Eruditi. Et 1. quidem Ratio hoc ipsum ita afferit: Quia Natura quæ ab infinito abhorret, in infinitum corpora dividere non pergit, sed ad minima cum pervenit, quiescere novit.*

**XXX.** *2. Experientiam quod concernit, ea idipsum hoc modo stabilit. Cum fumus spargitur in aërem ita ut mox fiat inconspicuus, non sane annihilatur, sed in atomos dispergitur. Pulvis qui parietibus, vestibus alijsq; rebus adhaeret, omnino sub atomorum specie istuc defertur. Ex nibili enim non venit; neq; vi-*

sibilitè semper; sed non raro sub minima quantitate,  
quæ omnem fugit visum, corporibus istis adabitur.  
Eundem etiam ex vestibus & libris dum excutimus,  
in atomos dispellimus. Plurima quidem exempla  
afferre possemus, nō hæc sapienti sufficerent.

XXXI. 3. Tandem Eruditos hac in re nobis astipulantes, & quidem non paucos, habemus. Ante Aristotelem Mochus phœnicius (quem ante Trojæ excidium floruisse memorant Conimbricenses) Empedocles, Leucippus, Democritus (qui ab ipso Arist. l. i. de Gen. & Cott. c. 2. T. 5. omnibus priscis Philosophis in scientia naturali prælatus fuit) Plato, Anaxagoras, omnesq; ferè antiqui, maximi fecerunt Atomorum doctrinam.

XXXII. Hac de modo Missionis pro ingenij modulo dicta sunt, consequens est, ut jam de causa efficiente paucis agamus. Hic frustra ad sola Elementa recurritur, quippe quæ passim se in opere missionis habent, hinc argumentamur: Quidquid in aliquo opere patientis munere fungitur, illud ad idem opus producendum ut agens non concurrit. At 4. Elementa in opere missionis patientis munere funguntur, E, Major clara. Minor probatur, quia illa sunt, quæ miscentur, E. non miscent. Agens E. & miscens imprimis investigandum.

XXXIII. Hoc ipsum formam cuiusq; rei specificam, & in viventibus animam esse contendimus. Hæc cuiusq; rei architecta. Hæc est quæ aquam tantâ copiâ, aërem, terram & ignem juxta numerum, pondus & mensuram affluere præstat. Hæc suum sibi corpus fabricat, & ad id constituendum tutæ Elementa, tum alia corpora attrahit, disponit & unit, suoq; imperio regit; Unde accedit ut formaliter iam unum sint, & sub uno actu unita, unum actu fiant, quæ plura per se erant. Ideoq; Elementa non per se concurrunt, sed à formâ specificâ attrahuntur, Unde ait Scalig. Exer. 397. S. 20. Nisi 4. illa Elementa rectorem habent

beant temerē ac sine modo mētq; ullā & iactabunt & iactabuntur  
XXXIV. *Hæc breviter de tertio nostræ intimationis membro, tandem ad quartum & ultimum nos accingimus, & Divisionem mistionis, quam ex promisso dare tenemur, hanc subjungimus.*

XXXV. *Dividitur autem mistio duplicitè, primò in perfectam & imperfectam: Secundo in Regularem & Irregularē.*

XXXVI. *Perfecta mistio est, quâ miscibilia perfectè miscentur, mistumq; perfectum constituitur. Imperfœcia est, quâ miscibilia imperfectè miscentur, mistumq; imperfectum constituitur. Natura enim saltum non facit, sed semper ab imperfecto ad perfectum procedit. Cum aurum generatur, non simul ac semel illud perficitur, sed rudimenta sua habet, & paulatim magis ac magis excoquuntur, donec debitam acquirat perfectionem.*

XXXVII. *Regularis est, que secundum leges à natura prescriptas fit, ut cum ex Equo & Equa fit Equus, ex cane & cane, canis. Irregularis verò, que contra leges à natura prescriptas fit, E. g. cum ex equa & asino fit mulus, expardo & Leæna Leopardus;*

Atq; hæc de ardua hac ac ventilatu dignissi. mā materia pro ratione instituti dicta sufficient. D. O. M. qui in utero nos coagulavit, nos regat, & in hac vita ita cohabitare faciat, ut in regno cælesti æternū convivamus.

## COROLLARIA.

1. An privatio generationis principium sit? Neg.
2. An Elementa transmutentur? Neg.

3. An

3. An homini, si in statu integratis mansisset, moriendum fuisset? Neg.
4. An virtus homini à natura insit? Dist.
5. An justitia universalis à virtute in usu positâ specie differat? Neg.
6. An Deus absoluto decreto certum terminum, certumq; mortis genus homini p̄scripserit? Neg.

*Doctissimo*

Dn. JOHANNI MART. TOBETIO,  
Pro gradu in Philosophiâ disputanti amicè accinebam,

**C**orpora in hoc mundo quæ simpliciora videmus  
Pauca; At multa de hinc cernere mixta licet,  
Verum procedat quali ordine mixtio eorum,  
Explicuisse alijs; hoc opus hic labor est.

Maëte, igitur JANNES MARTINI docte TOBETI,  
Rem tantam aggressus. Perfice; ferta geres!

MICHAEL O. JVVEXIONIUS  
P.Prof. & Fac.p.t.Dec.

**N**aturam certant omnes elementaq; rerum  
Discere, quos agitat dispar sententia forsitan;  
Posteritas etenim nostris inventa diebus  
Plurima laudabit, quæ secula prisca latebant.  
JANNES in tali studio quid feceris apto  
Testantur griari; & hæc quæ iam prodis abunde  
Ostendunt; Pergas sic tibi querere nomen,  
Sinceræ amicitiae imo veritatis occupa-  
tissimus ponebam indicium.

JOHANNES M. GARTZIUS Arb.